

27.

# CONCILIATIO

Duorum dictorum Apostolicorum,

*Eph. 2, v. 20.*

*Superstructi estis super fundamentum Appstolorum & Prophetarum:*

*Et 1. Tim. 3, 15.*

*Ecclesia est Columna & firmamentum veritatis:*

DEMONSTRANS

Authoritatem S. Scripturæ majorem esse  
authoritate Ecclesiæ,

*Quam*

*Ad diem XVI. Julij publicè ventilandam,  
proponit*

CHRISTIANUS Lange/D. P. P. & ad

D. Thomæ Pastor

RESPONDENTE

M. Davide Maxio Stralsundens,

ANNO 1635.



L I P S I Æ,

Excudebat GREGORIUS Rixsch. ~~1635~~

... *ex dicto Ephes. 2, v. 20, quatenus*  
A 2 est

Coll. diss. A  
190, 8

*54. St. 190(8)*

3-

COPIA

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN




BRUNNEN

CHRISTIAN

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN



# Thesis I.



Asserturi S. Scripturæ Authoritatem, potissimum nitimur effato Apostolico clarissimo, quod sic habet: ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων, καὶ προφητῶν, ὅντις ἀκρογωνιαίος Ἰησοῦς χριστὸς h. e. *Superstructi (estis) super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide ipso JESU CHRISTO.*

## II.

Sunt quidem alia dicta, quæ Authoritatem hanc statuminant, à priori, hoc est, à *Causa efficiente Principali*: quo pertinet imprimis illud 2. Tim. 3. v. 16. πᾶσα γραφή θεόπνευστος, *omnis Scriptura divinitus est inspirata.* & 2. Petr. 1, v. 21. *Non voluntate hominis allata est olim prophetia, (vel προφητεία γραφῆς, h. e. prophetica scriptura v. 20.) sed φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος, h. e. impulsivi à Spiritu S. locuti sunt sancti DEI homines.*

## III.

Ex hisce dictis *Autoritas Scripturæ* asseritur, quatenus absolutè consideratur, & ratione sui, ut est divina, promanans ex immediatâ inspiratione Spiritûs Sancti, cum quoad res, tum quoad verba res illas significantia.

## IV.

*A posteriori* verò ex dicto Ephes. 2, v. 20, quatenus est

est θεμέλιον vel *fundamentum* totius Ecclesiæ, hoc est, quatenus est *causa media*, per quam colligitur & conservatur Ecclesia, ita ut sit & maneat hæc vera Ecclesia, quamdiu huic fundamento Apostolorum & Prophetarum innititur.

V.

Atq; hoc dictum opponitur à Nobis assertioni Pontificiæ, quæ contendunt, Ecclesiæ Authoritatem esse majorem authoritate Sacræ Scripturæ, eamq; statuminare saragunt ex alio Pauli dicto, 1. Tim. 3, v. 15. ubi affirmat, *Ecclesiam, Domum DEI viventis esse columnam & stabilimentum veritatis.*

VI.

Mentem Pontificiorum explicat Nobis Coryphæus ipsorum *Bellarmin.* lib. 3. de Eccles. cap. 14. cujus titulus, Ecclesiam errare non posse, ubi dictum illud ita accommodat ad propositum scopum, ut affirmet, *Ecclesiam vocari firmamentum veritatis, eò, quia veritas fidei nititur authoritate Ecclesiæ, ut verum sit, quicquid Ecclesia probat, falsum, quicquid ea improbat.*

VII.

Argumentum tale esse potest: *Quodcumq; est σύληθς καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας, Columna & firmamentum Veritatis fidei, Illius authoritate veritas fidei, vel S. Scriptura in qua veritas fidei continetur, nititur: Sed Ecclesia est σύληθς καὶ ἐδραίωμα, Columna & firmamentum veritatis. E.*

VIII.

Murus aheneus hic est, quo Pontificii Ecclesiæ, non tantum absolutè, sed etiam respectivè dictæ, hoc est, Romano-Catholicæ authoritatem tueri, & authoritati S. Scripturæ præferre conantur.

IX, Sed

## IX.

Sed Syllogismo Pontificiorum alium opponimus ex dicto Eph. 2, v. 20. extructum :

*Quodcumq; est tale θεμέλιον vel fundamentum, super quod Ecclesia est extructa, lapide angulari existente JESU Christo; illud suâ authoritate Ecclesiam antecellit.*

*Sed S. Scriptura est tale θεμέλιον vel fundamentum, super quod Ecclesia est extructa, lapide angulari existente JESU Christo : E.*

## X.

Ἐναντιοφάνεια hæc, quæ dictis Eph. 2, v. 20. & 1. Tim. 3, v. 15. intercedit, ut tollatur, 1. præmittemus brevem prioris dicti ἀνάλυσιν 2. ad Syllogismum Pontificiorum respondebimus, veram & genuinam alterius etiam dicti mentem explicaturi, & quam insigniter eo Adversarii abutantur, ad oculum demonstraturi.

## XI.

Fundamentum hîc sumitur Metaphoricè, pro eâ re, quâ nititur fides nostra in negotio salutis. Illud autem est duplex : 1. doctrinale, ut sunt *Apostoli & Prophetæ* h. e. *doctrina Apostolica & Prophetica*, per Metonymiam Causæ, quam Viri illi Dei, Apostoli & Prophetæ primùm vivâ voce præconiaverunt; postea verò per DEI voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei futuram, ut habet Irenæus lib. 3. adversus hæreses c. 1. pag. 169.

## XII.

Conjunguntur Prophetæ & Apostoli ratione Consensus. Nam licet in hoc differant, quod illi de futuro Messia prophetarunt; hi vero exhibitum annunciârunt: Tamen in hoc conveniunt, quia unicum habent fundamentum salutis, circa quod ipsorum doctrina versatur, 1. Cor. 3. v. 11.

A 3

XIII. 2. Est

XIII.

2. Est *fundamentum Reale*, quod est ipse JESUS CHRIS-  
TUS, qui totam Ecclesiæ molem sustinet, sustentat &  
conservat. Vocatur ille *ἀκρογωνία* Ⓞ, quæ vox signifi-  
cat *lapidem*, vel *inim*, qualis sol. t esse Petra aliqua firma  
naturâ vel arte posita, quæ sit loco fundamenti, cui ædi-  
fium superstruatur, quo respectu Christus dicitur  
fundamentum, 1. Cor. 3. 11. vel *summum*, qui angulos ex  
diversis parietibus & muris concurrentes complectitur,  
& unit. Quo respectu Christus est Caput Ecclesiæ ex  
Judæis & gentibus collectæ, quos unius fidei professi-  
one colligat & devincit. Eph. 2, v. 14. & 16. Huc perti-  
net etiam illud Christi dictum, Joh. 10, v. 16. *Erit unum  
ovile & unus Pastor,*

XIV.

Huic fundamento in utroq; significato (quatenus  
est *Doctrinale & Reale*) accepto superstructi sumus, & in-  
nitimur, dum à Prophetiâ & Apostolicâ doctrina, in S.  
literis comprehensâ dependemus, & ab ipso CHRISTO  
salutis Restauratore unico, virtute Spiritûs S. in unita-  
tem Ecclesiæ collecti, per fidem sustentamur, & conser-  
vamus ad vitam & salutem æternam.

XV.

Ejusdem sententiæ est illud Christi Matth. 16, v. 16.  
*Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam & portæ infero-  
rum non prævalebunt contra eam.* Ibi Pronomen, τῆς πέτρας  
ἢ τοῦ πέτρου vel relativè acceptum digito intendit in confessi-  
onem à Petro editam: *Tu es Christus Filius DEI vivi*: quæ  
est epitome toti9 doctrinæ Evangelicæ, in scripturis Pro-  
pheticis & Apostolicis comprehensæ, cui, ceu petra, vel  
fundamento, superstruitur Ecclesia & tam firmiter inni-  
titur,

titur, ut contra omnes Inferorum portas inconcussa  
consistat, & immota.

XVI.

Ita explicat Chrysoftom. *Ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, ἧς ἐστὶ  
τῆ πίστεως ὁμολογίας: Super hanc Petram, h. e. super fide confessi-  
onis. Ubi fides objectiva, vel dogmatica intelligenda  
venit, h. e. res credenda.*

XVII.

Et August. ad ipsam rem, hoc est, Christum digi-  
tatum intendens, ferm: 13. de verbis Dom. secundum  
Matth. ait: *Tu es ergo Petrus, & super hanc Petram, quam  
confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens: Tu es  
Christus, Filius Dei vivi, edificabo Ecclesiam meam.*

XVIII.

Quidam etiam non absurdè referunt ad illam di-  
ctionem, quæ in voce, *Petrus*, latet, h. e. *Petram*, à qua  
*Petrus* denominatus est, ut sit secundum Chrysoft. *Petrus*  
velut *πεπελεγμένον*, quasi Christus diceret: *Tu es Petrus,*  
nomen habens à *Petra*, quam confessus es, & super  
quam ædificabo Ecclesiam meam.

XIX.

Quem modum loquendi *Causabonus* Exercit. 15. ad  
*Annales Eccles. Baronij* fol. 283. non dicit esse inufita-  
tum vel infrequentem, etiam in sacris scripturis, ut rela-  
tio fiat ad vocem in præcedente aliqua dictione laten-  
tem. Sufficiat jam allegasse unicū illud exemplum *Ioh.*  
*8, v. 44.* Ubi de Diabolo Christus dicit: *ὅτι ψευδὴς ἐστὶ καὶ  
ὁ πατήρ αὐτοῦ, h. e. Mendax est, & Pater ejus, scil. ψευδὴς  
vel mendacii, in voce, ψευδὴς, latentis.*

XX.

Alii etiam pronomen *ταύτην* *δεικτικῶς*, vel demon-  
strativè intellectum volunt, quasi Christus seipsum mon-  
strans,

strans, diceret, super Meipso, qui sum Petra spiritualis, 1. Cor. 10, 4. ædificabo Ecclesiam. Cavendum hîc est, sedulo, ne transcendamus in partes Pontificiorum, qui pronomen, *banc*, ad Petrum referunt, & quidem ad Petri personam, non doctrinam fundamentalem, aut officium Apostolicum. Deinde sub Petro etiam intelligunt fictitium ejus successorem Pontificem Romanum, quem Ecclesiæ fundamentum esse absurdissimè statuunt.

XXI.

Eâdem ergò (ut ad rem redeamus) Metaphorâ Christus & Paulus utuntur: Christus dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Paulus: *Exstructi estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*.

XXII.

Sicut enim Architecti primum lapidem fundamentalem ponunt, deinde alios lapides quæerunt aptos, quos superstruant, inter se invicem cæmento conjungēdos, ut inde ædificium extruatur: Ita in Ecclesia primum collocatur ἀκρογωνιάος, vel lapis fundamentalis, Christus; deinde alii lapides, h. e. homines sunt, ex quibus constructur Ecclesia, quatenus convocantur ad Ecclesiæ communionem, regenerantur, & non tantùm fide Christo uniuntur, sed invicem etiam cæmento charitatis mutux coalescunt, ut ita ceu vivi lapides constituent domum spiritualem, 1. Petr. 2, v. 4, & 5.

XXIII.

Hoc ædificium Paulus vocat οἰκοδομὴν συναρμολογημένην h. e. structuram congruentissimâ proportionē & harmoniâ concinnatam, cùm ratione doctrinæ, vel fidei, in qua conveniunt vera & viva Ecclesiæ membra, quando nihil nisi quod fidei analogum est, Rom. 12, 2. ample.



Etuntur; tùm ratione vitæ & mutuæ charitatis, quando  
tolerant sese invicem per Charitatem, studentes servare  
unitatem spiritûs, per vinculum pacis. Eph. 4, v. 2, & 3.

XXIV.

Finis hujus structuræ est hic, ut crescat eis ναὸν ἁγίων ἐν  
νοεῖα in Templum sanctum in Domino: Item, ut sit κατοικη-  
τήριον τοῦ θεοῦ ἐν πνεύματι, habitaculum DEI per spiritum. Tem-  
plum autem sanctum est Ecclesia: quia Deus in Ecclesia  
nos sanctificat per Spiritum S. mediante verbo & sacra-  
mentis, ut à Nobis sanctè colatur & adoretur. Habitaculum  
autem Dei dicitur, quia ibi Deus præsentiam suam  
gratiosam declarat, in singulis etiam credentibus per fi-  
dem habitat Eph. 3, v. 17. suamq; habet mansionem in  
se diligentibus Joh. 14, v. 24. 1. Joh. 3, v. 24.

XXV.

Συννοδομεῖσθαι vel coædificari dicuntur Gentes, quæ  
aliquando fuerunt sine Christo, ab alienatæ à Republ.  
Israelis, & extraneæ à testamentis promissionis, spem  
non habentes, Deoq; carentes in mundo; nunc autem  
ad communionem Ecclesiæ vocatæ & propinquæ factæ  
sunt, per sanguinem Christi, qui fecit ex utrisq; unum.  
Eph. 2, v. 12, &c.

XXVI.

Causa efficiens principalis hujus ædificii est ipse Chri-  
stus, uti ex verbis ipsius constat; *Ædificabo Ecclesiam me-  
am.* Minus principalis vel secundaria & instrumentalis est  
ministerium, δίακονοι & σόνεργοι Christi, 1. Cor. 3, v. 4. &  
9. qui quod agunt, non suâ, sed Christi virtute agunt, cui  
soli Paulus omnem verbi efficaciam ascribit v. 7. his  
verbis: *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui  
dat incrementum Deus.* Et ipse Christus ait: *sine me nihil  
potestis facere, Joh. 15. v. 5.*

B

Jam,

40

XXVII.

Jam quod argumentum Adversariorum spectat, ex altero Pauli dicto extractum, ubi Ecclesia, quæ est Domus Dei, dicitur  $\sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ : Resp. i. ad *Majorem*, eam simpliciter non esse veram. Non enim tantum  $\sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha$  sic oportet veritatis, quo veritas tota niti debet, sed etiam  $\theta\epsilon\mu\epsilon\lambda\acute{\iota}\omega\upsilon$ , & fundamentum, quod longè majus est, quàm  $\sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha$ , columna & firmamentum.

XXVIII.

Interdum quidem  $\sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon$  &  $\acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha$  improprie & lato modo sumi possunt pro ipso  $\theta\epsilon\mu\epsilon\lambda\acute{\iota}\omega$  vel fundamento; sed in hoc significato non accipienda sunt verba Pauli, in *Minore Syllogismi* posita. Quia Ecclesia non est ipsum fundamentum veritatis fidei, cui hæc superstruatur, & ex cujus autoritate dependeat, sed potius veritas est tale fundamentum, cui Ecclesia superstruitur, secundum prius Apostoli dictum Eph. 2, v. 20.

XXIX.

Quo spectant sequentia Patrum dicta, qui in hoc significato generali & improprio, quatenus  $\sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha$  pro ipso  $\theta\epsilon\mu\epsilon\lambda\acute{\iota}\omega$  vel fundamento accipiuntur, invertunt dictum Pauli, ut *Chrysostr.*  $\alpha\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \text{Εκκλησίας} \kappa\alpha\iota\ \sigma\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\rho\alpha\acute{\iota}\omega\mu\alpha$  h. e. *veritas est Ecclesie Columna & firmamentum.* Ejusdem sententiæ etiam est *Irenæus*, qui libr. 3. c. 1. dicit: *Scripturam Apostolorum esse columnam & firmamentum fidei nostræ.* & cap. II. *Columnam & firmamentum Ecclesie esse Evangelium & spiritum vita.*

XXX.

Deinde, quod *Minorem* attinet, operæ pretium est, allegati dicti 1. Tim. 3, v. 15. *subjectum & prædicatum* perpendere, ut scopus illius rectè explicetur. Quod

## XXXI.

Quod *subjectum* attinet, illud est Ecclesia, quam describit ab *adjuncto*, quod sit *Domus Dei*. Hinc emergit discrimen inter *Ecclesiam veram & falsam*. *Vera est, quæ est Domus Dei: falsa, quæ non est Domus Dei, sed Diaboli*, quatenus scilicet falsa est, & complectitur homines hæreticos; qualis est hodierna *Romano-catholica*, quatenus est *Papistica*, h. e. corruptelis & idolomanis Pontificiis à diabolo profectis, 1. Tim. 4, v. 1. adhæret, relictâ fidei veritate, in S. Literis comprehensâ.

## XXXII.

Atq; hinc è contrariò ita potest definiri *Ecclesia vera*, quod sit ejusmodi cœtus, qui adhæret Verbo DEI puro & incorrupto, & ab eo ne latum pilum discedit.

## XXXIII.

Hæc enim est infallibilis *nota Ecclesie vere*, Verbo Dei puro & incorrupto adhærere, unde dependet gratiosa Dei præsentia, cujus ratione Ecclesia illa dicitur *Domus Dei*, quam Deus inhabitat, & donis suis adimplet, vigore datæ promissionis Exod. 20, v. 24. *In omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad Te, & benedicam Tibi*. Item, Matth. 18, v. 20. & Joh. 14, v. 23.

## XXXIV.

Atq; ad hanc Ecclesiam, quæ est *Domus Dei*, hoc *predicatum* propriè spectat, quod sic  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\kappa\alpha\iota\ \acute{\epsilon}\delta\epsilon\alpha\gamma\omega\mu\alpha$   $\tau\eta\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ , columna & firmamentum veritatis, non ad Ecclesiam  $\acute{\omicron}\mu\omega\nu\acute{\upsilon}\mu\omega\varsigma$  dictam, sub qua etiam falsa continetur, qualis est *Romano-Papistica*.

## XXXV.

Ac proinde Ecclesia, quæ *subjectum* constituit, *conditionaliter vel reduplicativè* sumenda est, si, vel quate-

nus est Domus Dei, ut ei rectè conveniat prædicatum;  
Est columna & firmamentum veritatis, Ecclesia enim  
falsa & quæ aliàs dicitur Ecclesia malignantium, non  
potest tali prædicato gaudere.

XXXVI.

Quod ipsum prædicatum spectat, Ecclesia vera est  
Columna & firmamentum veritatis, non ἀυθεντικῶς, ac si  
veritas coelestis ex autoritate Ecclesiae pendeat, uti vo-  
lunt Pontificii; sed λειτεργικῶς, quod in Ecclesia, quate-  
nus vera est, & Domus DEI, sit veritas coelestis, confer-  
vetur & propageretur; extra illam verò nullibi reperiat  
& inveniat. Unde etiam illud pro manavit: *Extra Ec-  
clesiam non est salus*, quia extra Ecclesiam non est Verbum  
DEI, quod dicitur verbum v. I Evangelium salutis. Eph.

l. v. 13.

XXXVII.

Hæc autem non statim sunt ἀντιστοιχα, veritas fidei  
tantum in Ecclesia reperitur, nec ullibi sedem suam ha-  
bet, nisi inter fideles, qui sunt in Ecclesia: E. quicquid  
ecclesia dicit, vel in Ecclesia proponitur, est verum.  
Nam in Ecclesia etiam verà, & in quâ est veritas, nec ex-  
tra eam reperitur, non omne tamen, quod proponitur,  
verum est, sed verum tantum est illud, quod Ecclesia ex  
infallibili veritatis fundamento, cui superstructa est,  
profert, hoc est, ex sacris literis, secundum illud Ioh. 8,  
31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, &  
cognoscetis veritatem, & veritas liberet vos,*

XXXIIX.

Potest autem Ecclesia veritatem sustinere, colum-  
næ instar, eamque propagare & defendere, nec tamen ab  
omni errore esse immunis. Veritas enim non omnis, sed  
necessaria tantum, quæ nos deducit ad veram Dei agni-  
tio-

tio-

tionem, hinc spectatur, quam non omnis error statim tollit, aut ipsam Ecclesiam, seu ejus columnam evertit, sed ille tantum, qui veritatem necessariam, vel ipsum fidei fundamentum impugnat.

XXXIX.

Vox *Columnæ* à quibusdam sumitur in *forensi*, à quibusdam in *Architectonica* significatione, sed si rectè explicetur, in utraq; potest admitti, nempe si non ad *Authenticam*, vel absolutam aliquam auctoritatem Ecclesiæ, sed ministerialem ejus operam, quam veritati coelesti navat, applicatur.

XL.

Quod primam attinet, quando aliqua *Columna* extat in Curia, vel ante prætorium, non ut ei aliquid superædificetur, sed ut ad eam mandata Magistratûs & Leges promulgatæ affigantur, illa optimè convenit Ecclesiæ, quæ etiam talis est *Columna*, ad quam veritatis revelatæ intimationes quasi appenduntur, quæ sunt *S. Literæ*, ab Ecclesia fideliter custodiendæ & propagandæ, ut ab omnibus cognoscantur.

XLI.

Alteram quod spectat (quam imprimis etiam intendit altera vox *ἐδρασμα*) *Columna* dicitur, quæ fundamento quidem principali innititur, sed tamen & ipsa aliqua, quæ superstructa sunt, sustinet. Atq; ita Ecclesia dicitur, quia non tantum superstructa est fundamento Apostolorum & Prophetarum Eph. 2, 20. Sed veritatem coelestem, in *S. literis* revelatam, suo ministerio suffulcit, inter homines conservat, incorruptam & illibatam proponit, & ad posteros propagat.

XLI.

Et *quing;* possunt exprimi modi, quibus Ecclesia, veritati coelesti ministerialem suam operam præstat, &

cujus rarione *εὐλόγηται καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας* dici potest.

XLIII

1. Ut est *custos* veritatis in S. Scripturis contentæ. Ecclesia enim est amplum quoddam & dives depositorium, in quod Apostoli omnia, quæ sunt veritatis, plenissimè contulerunt, ut habet Irenæus, lib. 3. c. 4,

XLIV.

Quo ipso notatur imprimis Ecclesia primitiva, cui commissa fuerunt Apostolorum *αὐτόγραφα*, quæ studiosè custodivit, & factà quasi per manus traditione fideliter propagavit. Cum quæ Ecclesiæ operâ conjuncta est singularis Dei providentia, quæ factum est, ut sacra Scriptura huc usq, facta ac tecta fuerit conservata.

XLV.

2. Ut *testis* est, quando Ecclesia primitiva & Catholica libris Canonicis perhibuit testimonium, quòd verè sint scripta Apostolica, ac propterea pro normâ & regulâ fidei tenenda. Quo suo testimonio commovit homines, ut legerent scripturas, & quæ in iis revelata sunt de salute suâ, cognoscerent. Quod intendit Divus *August. c. 5. contra Epist. Manichæi: Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica auctoritas moveret.*

XLVI.

Nec est, quod Pontificii hoc dictum adeò contra Nos urgeant ad asserendam auctoritatē Ecclesiæ, Scripturæ auctoritatem exuperantem. Nam aliud est *commovere*, aliud *persuadere*: Illud præstat Ecclesia, hoc Spiritus S. Ecclesia enim suo testimonio & commendatione Nos potest commovere ad legendas & cognoscendas scripturas: Spiritus S. autem Nobis persuadet iustus in corde, ut iis assentiamur, & credamus has esse  
Dei

Dei voces, atq; per easdem salvificam fidem in Nobis accendit.

XLVII.

Quæ verò Ecclesia hîc sit intelligenda, vel quomodo ad Ecclesiam hoc dictum D. Patris sit accommodandû, alii ex Pontificiis rectè exponunt, quos meritò opponimus ijs, qui scripturæ autoritatem extenuant, & Ecclesiæ Romano-catholicæ postponunt.

XLVIII.

*Diedo in libr. 4. c. 4. Augustinum de Ecclesia primitiva Apostolorum loqui, statuit, & ad Ecclesiam, qualis hodieq; est, non posse accommodari ita asserit: Si nunc Augustinus viveret, atq; de Ecclesia loqueretur, potius sic diceret: Ego hujus Ecclesiæ homines non crederem esse Ecclesiam Christianam, nisi doceret Me quatuor Evangeliorum autoritas.*

XLIX.

Et Bellarm. in dictatis manuscriptis in Aquinatis secundam secundæ quæst. 1. artic. 1. dubio 1. (referente D. Guilhelmo Wittakero de sacrâ Script. Controv. 1. quæst. 3. fol. 325.) dicit, *Augustinum loqui de Ecclesia, ut de causa proponente, non ut de primo fundamento fidei. Et rectè: Non enim Evangelio fidem adhiberemus, nisi Ecclesia illud proponeret nosq; ad ipsos fontes veritatis manu deduceret.*

L.

Sicut autem Custos & testis rei illam non efficit talem, qualis est, sed talem esse tantùm testatur, eamq; cognoscendam exhibet: Ita etiam Ecclesia custos & testis est veritatis cœlestis in S. literis comprehensæ, non quòd ei autoritatē communicet, sed quod eam commendet, & ex libris Canonicis cognoscendam moneat.

LI.

3. *Ut Vindex est, veras, genuinas & Canonicas scripturas*

pturas vindicans ab injuriis illorum, qui admiscunt nothos & suppositivos libros, ut sunt Evangelium Bartholomæi, & alii ejusdem farinae, quos Ecclesia primitiva repudiavit, ac pro adulterinis habuit.

LII.

Quo ipso quidem Ecclesia nobis multum utilitatis præstat, scripturis tamen, quam habent, auctoritatem Canonicam non conciliat ac largitur. Sicut enim si quis aureum nummum habeat, nec tamen eum probum agnoscat, alium peritiorem accedens bonum esse intelligat, illum non propter testimonium, sed propter internam bonitatem pro bono habet: Ità etiam si Ecclesia vera Canonicos libros discernat à suppositiviis & adulterinis, hoc ipso ijs non largitur, ut sint tales: Sed tantum suis vindiciis hoc præcavet, ne rejectitij libri admisceantur.

LIII.

4. Ut *Præco* est veritatem salvificam illibatam & incorruptam propagat, sicut autem præco decreta quidem evulgat & notificat, sed auctoritatem illis non communicat, quam à Principe habent, cujus nomine promulgantur: Ita etiam Ecclesia veritatem cælestem in libris Canonicis comprehensam, promulgat, prædicat, & ad posteritatem propagat, sed hoc ipso non addit ei auctoritatem, quam in se ipsa habet, à Deo communicatam.

LIV.

5. Ut *Interpres* est & S. Scripturas exponit & interpretatur, non quidem pro lubitu, sed secundum analogiam τῆς πίστεως ad Rom. 12, v. 6. h. e. dogmatum & articulorum fidei in S. literis contentorum.

LV.

*Interpretis* enim est non inferre sensum aliquem  
in



in Scripturas sed potius inde efferre, ut *Hilarius* loquitur, Scripturam per Scripturam interpretando, cui propterea nihil largitur authoritatis, sed ex authoritate ejus totum se pendere testatur, quando nihil statuere praesumit, nisi quod expressis ejusdem testimoniis constat sive per bonam consequentiam inde deducitur.

LVI.

*Bellarminus* hanc nostram explicationem impugnat & contra id, quod Ecclesia columna nominetur, quia est custos veritatis, ita argumentatur:

*Si Ecclesia diceretur columna & firmamentum veritatis, quia conservat eam, tanquam custos fidelissimus verbi DEI Scripti; Sequitur officinas librorum etiam esse columnas veritatis, quae diligentissime custodiunt omnes Scripturas: sed consequens est falsum. Ergo & Antecedens.*

LVII.

Resp. Non exclusivè hoc intellectum volumus de custode quodam muto, sed qui suo ministerio & praedicatione fidei veritatem coelestem propagat & dilatat; Sicut modo dictum Ecclesiam non tantum custodis sed etiam praconis vicem sustinere.

LVIII.

Idq; testatissimum est exemplo primitivæ Ecclesiae quæ veritatem Evangelicam, libris Canonicis comprehensam, non tantum custodivit & asservavit fideliter, sed etiam ad nos propagavit, cum per fidelem tanquam per manus factam traditionem, tum per indefessam praedicationem & explicationem.

LIX.

2. Dicit *Bellarminus*: *Paulus non nominat Scripturas, sed simpliciter dicit Ecclesiam esse columnam & firmamentum*

C

veri-

veritatis, atq; inde vult concludere, nos non ad Scripturas simpliciter, sed Ecclesiam remitti, quæ veritatem profitetur, non tantum in verbo Scripto, sed etiam non Scripto comprehensam.

LX.

R. Veritas hîc intelligenda est restrictivè, quatenus significat veritatem in verbo Scripto contentam, quod est fundamentum Ecclesiæ ad Eph. 2, v. 20. atq; ad illud solum se respicere Apostolus testatur in verbis immediate antecedentibus: *hec scripsi, ut scias, quomodo te versari oporteat in Domo Domini, quæ est columna & firmamentum veritatis* h. e. in qua veritas divinitus patefacta docenda & propaganda est.

LXI.

Atq; hoc ipso docet veritatem coelestem, quam Deus vult in Ecclesia custodiri & propagari, non aliunde, quam ex S. Scriptura depromendam esse: Aliàs frustra-  
neum fuisset à Paulo scribi Timotheo, quomodo officii sui partes obire debeat, cum illud Ecclesia suppeditare potuisset.

LXII.

Ut ita maneat S. Scriptura unica norma ac regula, ad quam non tantum exigenda est officii Ecclesiastici ratio, sed etiam fides nostra & cultus Deo debitus.

LXIII

Hinc Petrus non dicit posteriori Ep. 1, v. 19. habemus Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis, huic attendite: Sed, *habemus firmiorem sermonem, Propheticum*, i. e. ut in sequentibus est: *περὶ φητείας τῆς γεγραμμένης Scripturam Propheticam*, cui dum attenditis, rectè facitis. Item Paulus posteriori Tim. 3, 24. non dicit: Ecclesia te potest erudire ad salutem, sed *sacra Scriptura te possunt erudire ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.*  
Nec

LXIV.

Nec est quod ogganniat aliquis, hæc Apostolorum dicta intelligenda esse de Scriptura V. T. Nam licet hoc non negemus, dicimus tamen, ea non *exclusivè intelligenda esse*. Non enim excluduntur Scripta N. T. quæ non minus ac illa S. S. instinctu edita sunt. Sicut generale effatum Apostoli quod statim sequitur v. 16. demonstrat: *Omnia Scriptura divinitus inspirata, &c.*

LXV.

Huc pertinent & alia dicta, quibus ad Scripturam remittimur, ut Esa. 8, 20. *ad legem & ad testimonium, si non dixerint, juxta verbum hoc, non erit eis Lux matutina.* Joh. 5, v. 29. *Scrutamini Scripturas, quia putatis in illis vitam æternam habere, & hæ sunt, quæ testantur de me.*

LXVI.

Quibus uti & similibus quid notatur aliud, quàm fundamentum fidei principale, non esse Ecclesiam, sed sacram Scripturam, à qua & ipsa Ecclesia dependeat necesse est, eamq; ceu normam ac regulam fidei sequatur, si modo vera Ecclesia audire velit.

LXVII.

Obijcit Jesuita: *multò amplius esse dici columnam, quàm simplicem custodem, quia columna innititur Domus, eaq; remota cadit. Et propterea Ecclesiam vocari columnam veritatis quia veritas fidei nitatur Ecclesiae auctoritate, & verum sit, quicquid Ecclesia probet: falsum, quicquid improbet.*

LXVIII.

R. Ad Prius, illud esse particulare, quandoquidem non de omnibus columnis, hoc dici potest, quod iis innitatur Domus, cum non pauca ornent Domum, non

suffulciant aut sustentent; uti in domibus magnificè & regaliter extructis videre est.

LXIX.

Ad posterius rehero distinctionem inter *σύλον καὶ ἐδραίωμα* & inter *θεμέλιον* strictè sic dictum, quod solum domum sustentat, imo ipsas etiam columnas & firmamenta: ac proinde negatur consequentia, quod veritas fidei authoritati Ecclesiæ innitatur, cum nō sit *θεμέλιον* i. e. fundamentum, sed *σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*, columna & firmamentum veritatis, & ipsi fundamento principali, quod sunt Apostoli ac Prophetæ i. e. Apostolica & Prophetica scripta, innitatur.

LXX.

Neq; etiam sequitur, verum esse, quicquid Ecclesia approbat, & vicissim: Sed verum esse, quicquid in Scriptura habetur, & falsum esse, quicquid in Scriptura non habetur vel *κατὰ τὸ γράμμα* vel *κατὰ τὴν διάνοιαν*.

LXXI.

Atq; hinc irrefragabiliter concludimus, Ecclesiam alio respectu vocari *σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*, quàm quo volunt Pontificii, nempe, uti haecenus expositum est, quatenus est Custos, testis, vindex, præco & interpret Sacrarum literarum, & quatenus ex iis veritatem Evangelicam proponit ac profeminat.

LXXII.

Atq; ita non *πρωτῶς καὶ ἀπλῶς*, primariò ac simpliciter, vel absolute Ecclesia columna ac firmamentū veritatis, dicitur sed *δευτέρως & κατὰ τὴν*, secundariò & secundū quid, certoq; respectu, non quod veritas ab ea authoritatem suam mutuetur, sed quod ejus operā ministeriali illibata conservetur, à corruptelis vindicetur & propageetur.

Con-

## LXXXIII.

Conditionaliter etiam ita dicitur, quatenus θεμελίω vel fundamento Apostolorum & Prophetarum insistit, & ab eo ne latum unguem discedit. Quo respectu etiam fundamentum illud nominatur *Canon*, ad quem omnis fidei ratio & cultus exigi debet, secundum illud Gal. 6, v. 16, καὶ ὅσοι κανόνι τῆς τοῦ σολομῶντος ἰσχυροῦσιν. h. e. qui secundum hanc regulam incedunt, pax super eos & misericordia, & super Israelem Dei.

## LXXIV.

Hæc conditio referenda est ad *Ecclesiam visibilem*, de qua Paulus etiam loquitur in dicto illo. 1. Tim. 3, v. 15. quia talem intelligit Ecclesiam, in qua Timotheus ceu Episcopus versabatur. Illa tamdiu debet dici Columna ac firmamentum veritatis, quamdiu à fundamento Apostolico & Prophetico non recedit.

## LXXV.

*Invisibilis autem Ecclesia*, quæ est coetus Electorum, hanc conditionem non admittit, utpote quæ tota simul ac semel à fundamento fidei non aberrat, licet individuum unum vel alterum ad tempus illud deserat. Nam electi etiam errant in fundamento, & peccant contra conscientiam, licet non finaliter, ut in erroribus illis & peccatis perseverent.

## LXXVI.

Et quia hoc dictum loquitur de *Ecclesia quadam particulari* & visibili, inde tale potest extrui argumentum, quod pontificiis opponatur, auctoritatem S. Scripturæ extenuantibus: *Si ex hoc loco Apostolico probari debet auctoritas Ecclesie talis, à qua dependeat veritas fidei, sequitur, particularem Ecclesiam vel cœtum aliquem Laicorum* (uti

Pontificii nominant eos, qui sunt extra clericorum ordinem *utalem etiam habere auctoritatem. Sed consequens est absurdum. E.* LXXVII.

Ratio absurditatis est hæc: Quia Pontificii etiam non omni Ecclesiæ tribuunt hanc auctoritatem, sed tantum *Ecclesiæ Representativæ* h. e. Pastorum & Episcoporum congregatorum, quorum caput est *Pontifex ipse Romanus.* LXXVIII.

Hinc Ergò iterum è contrario concluditur, aliter intelligenda, esse hæc verba; quàm de tali Ecclesiæ auctoritate, qualem *Pontificii* urgent, nempe de custodia, testimonio, vindiciis, prædicatione & propagatione coelestis veritatis, quibus Ecclesia ceu potissimis ministerialis operæ suæ partibus eam suffulcit & conservat.

LXXIX.

Atq; hic est scopus Apostolicæ informationis in eodem dicto ad Timotheum Episcopum spectantis, ut sciret, quomodo in Ecclesia conversari i. e. ministerii sui partes obire eum oporteat, ne veritas divinitus patefacta & in S. literis comprehensa temeretur & violetur, sed in Ecclesia conservetur & ad seram posteritatem propagetur, LXXX.

Atq; hæc admonitione opo esse, Paulo non fuit ignotum, quippe qui sciebat, hanc Ecclesiam, cujus Episcopus erat Timotheus. h. e. Ephesinam, Ecclesiam brevi post enormibus erroribus ipsumq; fundamentum evertentibus corruptum iri, atq; tum non *σύλον καὶ ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας*, sed corruptelarum & hæreticarum doctrinarum receptaculum futuram esse.

LXXXI.

Id quod expressè etiam prædixit Apostolus Act. 20.29. Ephesi;

Ephesinæ Ecclesiæ presbyteris, his verbis: *Ego enim novi hoc, quod ingressuri sint post discessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi & ex vobismetipsis exorientur viri loquentes perversa, & abducent discipulos post se.*

LXXXII.

Eventu ipso hoc esse comprobatum, testis est Apoc. 2, 4. itemq; historia Ecclesiastica. Scribit enim Nicephorus lib. 14. c. 47. anno 449. in Ecclesia Ephesina nefandum illum errorem Eutychetis de duabus naturis Christi in unam coalescentibus, ut sicut una est persona, ita etiam una sit natura, publicâ synodo comprobatū fuisse introductum.

LXXXIII.

4. Porro ita infert Bellarm. *Ecclesia erat, quando nō erat Scriptura, ex quo sequitur, non dici eam columnam propter custodiam Scripturarum.*

LXXXIV.

R. Est homonymia in vocabulo *Scripturarum*. *Scripturae* enim sumuntur vel *materialiter* pro dictionibus lingvâ originariâ scriptis, quæ certis literis & syllabis constant: vel *Formaliter* pro ipsa vi significativâ vocum & sensu vel mente DEI vocibus istis significatâ.

LXXXV.

Bellarminus *materialiter* sumit scripturas, cum *formaliter* sumere debebat, pro ipso Verbo DEI, primūm vivâ voce prædicato, Deinde per voluntatem Domini literarū monumentis edito. In hoc enim significato Ecclesia non erat, quando non erant *scriptura*, sed *scripturae* fuerunt *priores Ecclesia* h. e. Verbum, quod secundum DEI voluntatem certo tempore in scripturas est relatū, quippe quod fuit causa & medium, per quod Ecclesia collecta fuit & adhuc colligitur.

LXXXVI.

*Bellarminus* alio in loco distinctione utitur inter auctori-

thori-

thoritatem *Scripturae* & ratione sui ipsius & ratione nostri, quæ nobis glaucoma obducere satagit, ad extollendam Ecclesiæ authoritatem l. 3. de Verbo DEI c. 10. Verba ita habent: *Christus non eguit Testimonio hominum pro se. Joh. 5. Sed tantum testimoniis utebatur propter alios Joh. 1. & 15. Sic Scriptura pro se non indiget testimonio, tamen propter nos indiget testimonio Ecclesiæ, quia non sumus certi, quæ libri sint Canonici.*

LXXXVII.

1. Tenendum hîc iterum est discrimen inter *Ecclesiam primitivam* quæ ipsos Apostolos audivit, & habuit *ἀποστολική* scriptorum Apostolicorum, eaq, per fidem *παράδοσιν* ad posteritatem propagavit: *Et inter Ecclesiam Romano-Catholicam*, qualis hodieq; est, quæ in ipsum Pontificem Romanum ceu caput resolvitur. Illius enim, non hujus Testimonium admitti debet.

LXXXVIII.

2. *Ecclesiæ primativæ testimonium est διακονικόν* vel *Ministeriale*, quo deducimur ad S. Scripturarum lectionem: non *δικαστικόν* vel *prætorium*, ut per illud solum credamus, libros Canonicos esse, quos nobis tradit & commendat. Sibi ipsis enim faciunt fidem longè uberriam, & quod sint *θεόπνευστοι*, ipsi iet argumenta suppeditant, quæ authoritatem Ecclesiæ longissimè exsuperant.

LXXXIX.

3. *Ecclesiæ testimonium* non omnibus æquè est necessariū, sed iis potissimū, qui sunt extra Ecclesiam. Nam qui sunt intra Ecclesiam non ipsum Ecclesiæ testimonium, sed ipsam S. Scripturam, quam sciunt esse *ἀποστολικήν* & *Authenticam* respiciunt, ipso interno Spiritus S. testimonio convicti, & confirmati, quod ea sit Verbum Dei immediatè inspiratum. Quod



Quod verò illos attinet, qui est sunt extra Ecclesiam, ijs quidem Ecclesiae testimonium perutile, *Non verò ut est principum credendi, sed quia est medium Ministeriale, quo deducuntur ad librorum Canonorum lectionem.* Principale autem medium & Principium credendi est ipsum Verbum DEI in Scripturis S. revelatum: Et Causa efficiens Principalis est ipse Spiritus S. qui mediante Verbo Evangelii in cordibus hominum fidem accendit, & efficit, sicut Paulus ait. Rom. 10. 17. *Fides ex auditu, Auditus autem per Verbum DEI.*

## XCI.

Quod probationem Bellarmini attinet, nempe, *Nos sine testimonio Ecclesiae non certos esse, quoniam libri sint Canonici,* Nos quidem concedimus, quod Ecclesiae testimonio innotescat Nobis, quoniam libri sint Canonici, qui Apocryphi, sed ex inde non sequitur, quod Bellarminus vult, nempe, Scripturam Canonicam ratione nostri auctoritatem suam ab Ecclesia accipere.

## XCII.

Hoc enim *testimonium*, uti jam antea dictum, est tantum *Ministeriale*, quod non largitur libris Canonicis, ut sint tales, nec communicat eis auctoritatem Authenticam, quam ipsi ex se habent: *Principale* autem longeque majus est *testimonium Spiritus S. internum*, quo S. Scripturae veritas & auctoritas in nobis confirmatur & obfirmatur, sine quo etiam Ecclesiae testimonium est invalidum, neque quicquam ad salutem prodest.

## XCIII.

Spiritus Sanctus quidem nos docet per Ecclesiam, sed non absolute, verum mediante Sacra Scriptura,

D

ad

ad quam alligata, est Ecclesia, & tamdiu Ecclesiae testi-  
monium est Spiritus S. testimonium, quamdiu à norma  
S. Scripturae pendet. Hæc enim est Θεόπνευστος 2. Tim. 3,  
vers. 16. immediatè inspirata, quod de Ecclesiae testimo-  
nio dici nequit; cum illa non immediato Spiritus S. af-  
flatu gaudeat, sed à S. Scripturae nutu tota dependeat.

CXIV.

Declarabimus rem simili ab ipso *Bellarmino* addu-  
cto: Iohannes testatus est de Christo, hominesq; ad ejus  
agnitionem perduxit quis autè inde concludere potest,  
majorem esse Johannis, quam CHRISTI auctoritatem?  
Sic per Ecclesiam multi credunt has Scripturas esse à  
DEO inspiratas, sed propterea Ecclesiae auctoritatem  
Scripturae anteponendam esse absurdè infertur.

XCIV.

Scriptura enim est ἀποκρίσις ① fidem & authorita-  
tem ex se ipsa habens, & ex ipsa Scriptura sumenda sunt  
argumenta potissima, quibus ejus auctoritas demon-  
stratur, ita, ut Ecclesiae testimonium animum nostrum  
non reddat ἀμεταπίστον, nisi ipsius S. Scripturae testimo-  
nia eum confirment, quibus conjunctum est ipsum in-  
ternum Spiritus S. testimonium, quod ijs mediantibus  
se exerit, & fidem in nobis accendit.

XCVI.

Afferimus aliud simile: Mulier Samaritana, post-  
quam cum Christo erat collocuta, abiit ad cives & dixit:  
*Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumq; fe-  
ci, annon hic sit Christus?* Hi exeuntes, crediderunt in eum.  
Num Ergò major erit auctoritas Mulieris, quàm Chri-  
sti? Absit! Ipsi enim cives profitentur, se credere jam  
non propter sermonem ejus, sed quod audierint, &  
sciant.

sciant, quod hic sit verè Salvator mundi, Joh. 4, 41. Pari modo se habet testimonium Ecclesiæ libris Canonicis perhibitum, cui credimus, sed magis ipsi Scripturæ, quæ est *ἀποστόλις* ☉: Ecclesia non item.

XCVII.

Ecclesiæ testimonium facit ad nudam fidem historicam, non salvificam. Hæc enim ex S. Scriptura pro- manat per operationem Spiritus S. mediante Verbo Evangelii in nobis se exerentem.

XCVIII.

Sicut autem Spiritus S. in nobis fidem salvificam accendit, & veritatem agnitam in nobis obsignat; ita et- iam S. Scripturam, quæ est fundamentum fidei, & li- bros Canonicos nobis persvadet tales esse, & suo ipso in- terno testimonio confirmat, quod licet non sit ipsa S. Scriptura, cum eâ tamen conjunctum est, & ab ea sepa- rari nequit.

XCIX.

Extenuant quidem Adversarii internum testimo- nium Spiritûs S. ut non vereantur dicere, illud æquè es- se incertum ac ipsius S. Scripturæ testimonium, cum nec illud faciat, ut Ecclesiæ omnes inter sese consentiant de quorundam librorum autoritate.

C.

Resp. Dissensum illum non esse de *causa Principali & materiali* sed *secundaria vel Instrumentali*. Concerta- runt enim aliquæ Ecclesiæ, num secunda Petri sit Pe- tri, secunda & tertia Johannis sint Johannis: Interim verò non negarunt Scripta illa esse divina, & à Spiritu S. profecta, quod sufficit ad Canonicam autoritatem eorum.

Sed

Sed filium hic abrumpimus, & Deo Misericor-  
 disimo, qui Ecclesiam suam inter Nos conservare,  
 eamq; columnam & firmamentum veritatis illiba-  
 ta & incorrupta esse voluit, grates agimus max-  
 imas, eundemq; veneramur supplices, ut imposte-  
 rum quoq; illam salvam & incolumem praestet, neq;  
 à fundamento Prophetarum & Apostolorum dimo-  
 veri patiatur, per & propter filium suum Do-  
 minum nostrum **JESUM CHRI-  
 STUM, Amen.**

**F I N I S.**



Coll. class. A 190,8